PELAGIUS

3. Viertel 12. Jh. Seite 48r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36487

Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ad 20

48

monstrat. Descendens autem dicit. Manifestatum autem nunc per scrip-
turas propheticas secundum imperium eterni dei spiritum sanctum significat. Item
infert. Cognito soli sapienti deo per ihesum christum cui gloria in secula. Hoc
loco patrem et filium manifeste loquitur. Quod autem dicit. cognitum est soli
sapienti deo in communi numeri mysterio trinitatem significat.
Iuxta euangelium meum et predicationem ihesu christi. Ut sic uiuatis quomodo
ego christi exemplo et auctoritate gentibus predicaui. Secundum reuelationem
mysterii. Mysterium de uocatione gentium uniuersarum in lege diu
fuerat occultatum. quod nunc per paulum euidenter patens factum est. euangelium in christo
per testimonia prophetarum. Qui quamuis de gentibus ante multa dixis-
sent. tamen quomodo et in christo unum fierent et iudei. nemo tamen
aperte cognouerat. estimare enim poterant quosdam ad fidem quasi pro-
selitos admittendos. Temporibus eternis tacitus quod nunc patens factum
est per scripturas prophetarum. Descendens autem dicit. quod est patens factum.
Secundum preceptum eterni dei. Precepit deus ut omnes gentes obediant et deum
agnoscant. quod futurum quandoque ante sciebat. qui solus naturaliter
sapiens. sicut naturaliter bonus. cum tamen et homo dicatur bonus. sed nos
institutioni boni uel sapientes esse possumus. ille natura cui per ihesum christum
gloria et honor in secula seculorum. Ad obeditionem fidei in cunctis gentibus.
Spiritum sanctum significat. Item infert. Cognito soli sapienti deo per ihesum christum
cui honor in secula seculorum. amen.

Corinthii sunt achaie. Incipit argumentum epistole ad Corinthios.
Corinthii sunt achaie. Et hi similiter ab apostolo audierunt uerbum ueritatis. et subuersi multi-
farie a falsis apostolis. quidam a philosophie uerbosa eloquentia. alii
a secta legis iudaice inducti sunt. Hos reuocat apostolus ad ueram et euangelicam
sapientiam. scribens eis ab epheso. Incipiunt capitula.

I. De plenitudine diuitiarum gratie et scientiae corinthiorum. II. De apostolo
ad unitatem corinthios componente. III. De contentione corinthiorum. IIII.
De uerbo crucis quod stultitia sit pereuntibus salus uero futuris uirtus sit dei. V.
De perditione sapientie seculi. VI. De deo eligente stultitiam istius seculi et in-
firma et contemptibilia ut confundat sapientes et fortiora. ut et qui
gloriatur in domino glorietur. VII. De sapientia mundi et sapientia dei.